



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Het Paradys der Geestelijcke ende Kerkelijcke
Lof-sangen/ op de principaelste Feest-daghen des
gheheelen Jaers**

Afhakker, Aegidius

Herzogenbusch, 1621

Psalmus 113.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55072)

nunc & vsque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum: laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cælos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cælo & in terra?

suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.

ut collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 113.

IN exitu Israel de Ægypto: domus Jacob de populo barbaro.

Facta est Iudea sanctificatio eius: israel potestas ejus.

Mare vidit, & fugit: Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes: & colles sicut agni ovium.

Quid est tibi mare, quòd fugisti: & tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?

Montes exultastis sicut arietes: & colles sicut agni ovium.

A facie Domini mota est terra: à facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum : & rupem in fontes aquarum.

Non nobis Domine, non nobis : sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua, & veritate tua : ne quando dicant gentes, vbi est Deus eorum?

Deus autem noster in cælo : omnia quęcumque voluit, fecit.

Simulacra gentium, argentum & aurum : opera manuum hominum.

Os habent, & non loquentur : oculos habent, & non videbunt.

Aures habent, & non audient : nares habent, & non odorabunt.

Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt : non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea : & omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel speravit in Domino : adiutor eorum, & protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino : adiutor eorum, & protector eorum est.

Qui timent Dominum, speraverunt in Domino : adiutor eorum, & protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri : & benedixit nobis.

Benedixit domui Israel : benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum : pu-

illis

illis cum maioribus.

Adjiciat Dominus super vos : super vos , & super filios vestros.

Benedicti vos à Domino : qui fecit cælum & terram.

Cælum cæli Domino : terram autem dedit filijs hominum.

Non mortui laudabunt te Domine : neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vivimus , benedicimus Domino : ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Gloria Patri, & Filio.

Canticum B. Mariæ Virginis.

LUC. I.

Magnificat : anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus : in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est : & sanctum nomen eius.

Et misericordia eius à progenie in progenies : timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede : & exaltavit humiles.